

genti attulit, siue Caesaris beneficio, siue etiam cessione antistitis Basileensis & Montbelgardi Comitis; cuncta enim haec conspirare malebat noster, quam vel una in parte eum incerto iure niti. *Rappersweyl & Wandelberg* praefecturae eidem legatae fuerant. Eodem post iure a *Klingenbergensibus* Dynastis inter alia *Stayn* relicta: quo utroque in bellis Helueticis excidit, recuperandi tamen spe nunquam deposita. Mort. An. 1358. aetat. 70.

*Iura controuersa de Pfiretensi comitatu ex utraque parte ostensa; tum generatim aduersum, quam varia iura sint Austriacis*

*catu, morte Cunradini extincto, Comes Pfyrtensis Theobaldus an. 1271. Basileensi episcopatu comitatum in feudum obtulit. Partim, quod in motibus interregni sibi utile fore crederet, si sacrosanctae ecclesiae subesset; partim, quod episcopus dominii directi causa comiti solueret mille marcas argenti. Cum ergo ultimus eius stirpis comitum, Vlricus an. 1324. sine mascula prole obiisset; successionem in Pfyrtensem comitatum sibi varii adrogarunt. I. Episcopus Basileensis, quod feudum masculinum episcopatu apertum fuisset. II. Superstites filiae 1) quod ecclesiae feuda esse viderentur promiscua 2) ea indoles quoque feudorum esse soleret oblatores 3) episcopus, papa consentiente, viuo patre Vlrico, successionem promississet filiabus. III. Austriaci duces, quod Pfyrtcomitatus pars ditionum Habsburgicarum esset, in quem ipsi agnationis iure succedere possent, qui neque in feudi oblationem consensissent; neque filiarum successionem alium locum darent, quam in subsidium, extinctis masculis agnatis. Tandem lis haec matrimonio composita est. Albertus enim Austr. dux Iohannam Pfiretensem ea lege in matrimonium accepit, ut Pfyrt Austriae accederet, ipse vero uxoris sorori Vrsulae solueret octo millia aureorum.*

*Vlricus C. Pfyrt, m. 1324.*

*Iohanna*

*vx. Alberti II. Austr. D.*

*Vrsula.*

*dote contenta.*

*Perduravit Pfiretarum comitatus in dominio esse Austriacorum, usque dum an. 1648. in Monasteriensi pace comitatus Galliae R. addiceretur: inuito quamuis domino directo, Basileensi episcopo. Qui non solum alienationi se opposuit: sed etiam facile agnouit, Galliae regis animum ab illa religione valde alienum esse, quae reges redderet episcoporum vasallos. Utroque igitur nomine imperium in comitiis implorauit episcopus, ut sibi aliunde damnum reparetur, quod reipublicae causa accepisset. Scriptum eius argumenti extat in vernacula in 4.*